TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
DE
MOTUS ARTUUM VITIIS CURANDIS,
QUAE EX DOTIBUS TEXTURAE MUSCULORUM TURBATIS PRAECIPUE PENDENT
QUAEDAM COMPLECTENS;

QUOD,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON,
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
GULIELMUS RIDGE MITTEN,
Anglo-Britannus.

"Omnes expetimus utilitatem; ad eamque rapimur, nec facere aliter ullo modo possumus. Nam quis est qui utilia fugiat, aut quis qui ea non studiosissime persequatur?"— CICERO de OFF.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT C. STEWART,
Academiae Typographus.

MDCCCXIX.

VIRO EXIMIO

JOHANNI JACOBO CATHERWOOD,

VIRTUTIBUS QUAE CIVEM HOMINEMQUE EXORNANT

INSIGNI,

PROPTER BENEFICIA IN SE COLLATA

PRAE OMNIBUS SPECTATO.

NEC NON,

PRAECEPTORI MEO

G. TILLEARD WARD,

OB SINGULAREM IN SE HUMANITATEM

CONSILIA IN STUDIIS EJUS INSTITUENDIS

MONITA IN PRAXI MEDICA

SEMPER COLLENDO,

DISSERTATIONEM HANCCE,

ANIMI NUNQUAM BENEFICIORUM IMMEMORIS

VOTIVUM TESTIMONIUM,

D. D. D.QUE

AUCTOR.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

MOTUS ARTUUM VITIIS CURANDIS, &c.

PROOEMIUM.

Nos almae Academiae statuta certiores faciunt, neminem ad summos honores medicinae evehi posse, antequam aliquid studiorum vel opinionum ad rem medicam pertinens, in medium protulisset.

Rem, igitur, revolvi; et fert animus pauca dicere, de motus artuum vitiis curandis, quae mihi diverso tempore de hac re meditanti sese obtulerunt. Minime in animo est, de membro-

rum vel artuum vitiis in genere tractare; sed quaedam tam breviter proferre de illis, quae ex vitiatis texturae musculorum dotibus praecipuè pendent, et haec etiam sive continui solutione aut tactu aut visu manifesta, et quae Contractiones vulgo appellantur.

Attentionem huic argumento, quum non adhuc ex Ephebis excederem, propter curationem egregiam et inopinatam Viri, per septem annos claudicatione laborantis, ob multa beneficia accepta mihi carissimi, adhibui. Ratio simplex et aerumnis medicinae omnino vacua animum juvenilem in delicias rapuit; et ardor, quem illi semper inter tractationem et progressum curationis suae memorandum, exhibuit, motus ejus animi mihi quodammodo impertiit. Accingenti ad studium et labores medicinae, et acquirenti scientiam, cujus opus sit ad causas contractionis artuum intelligendas, claudicationem hujusmodi in plurimis exemplis multum levaminis si non sanationem perfectam posse accipere, mihi fuit persuasum. Tractatio ipsa simplex, principio

quod semper oportet nos in memoria tenere, defectus naturae tollere conantes accuratissime convenit, nimirum processus ejus naturales a nobis esse adjuvandos et imitandos. Quaedam exempla, in quibus sententiae priores meae fuerunt comprobatae, vidi, et de aliis audivi, in quibus consilium effectus pariter felices induxit. Ad rem nunc pergam.

Rationem tractandi, aliquas res praefando, illustrare conabor; et

1*mo*, De Extensibilitate et Contractilitate fabricae muscularis, et relatione inter has intercedente.

2*do*, Quomodo hujus nexus vitia contractiones artuum afficiant.

3*tio*, De ratione medendi, quae effectus hujusmodi vi sanandi pollet.

DE DOTIBUS MUSCULORUM FABRICAE.

Extensibilitas, in genere musculoso vitae animalis in diversis modis, et omni tempore, in motibus variis artuum se prodit. Talis est natura systematis musculosi, ut nulla ex partibus ejus, nisi alia distenta sit, se contrahi potest. Femur valde et sursum inflexum, musculum semimembranosum, semitendinosum, et bicipitem, extendit. Brachium per abductores et extensores, eodem tempore se contrahentes, retrorsum et extrorsum ductum, pectoralem majorem; elevatum, latissimum dorsi, et teretem majorem, extendit. Singulae flexiones vehementiores, hanc vim extensorum; et extensiones, flexorum, in actionem cient. Musculus ab adversario ejus impulsus conditionem passivam prorsus servat. Contractilitas ejus, quasi per momentum cessat, et motui sibi imperto omnino paret. Haec extensibilitas texturae musculari fere propria est; tendinibus ex toto deest, quae-

cunque sit distantia inter puncta insertionis, vel inter duas terminationes tendinis; num abscedunt, vel inter se appropinquant, illis, eadem conditio est; in omni motu cui musculi subjiciuntur. Longissimi hac vi imprimis gaudent, sartorius, musculi posteriores femoris, et abdominales exempla hujus proprietatis saepe exhibent; et situs et nexus eorum huic favent. In genere, omnes musculi longi sunt superficiales, et ad duas vel plures commissuras, ut in artubus videmus, transeunt. Spatium inter puncta originis et insertionis extendens, motibus variis maxime diversum redditur, cui dotes fabricae muscularis eos cedere sinunt. Vix opus est observare, longitudinem haud interruptam fibrarum et non longitudinem absolutam musculi ipsius, huic plus minusve extensibilitatis praebere. Illis, qui fibris tendinosis multum dividuntur, vel qui magnam partem longitudinis tendinibus suis tribuunt, multo minus hujus proprietatis contingit, quo pacto in iisdem moti-

bus musculi pariter longi fibras, modo diverso, extendunt.

Si ex statu naturali ad morbosum transeamus, extensibilitatem musculorum multo manifestiorem detegimus. Aër in ore tibicinis collectus, buccinatores premit et distendit; tumores diversi hujus cavitatis, tum fungosi tum carcinomati, faciales parvos; si longitudinem suam circumscriptam, quae sic triplex vel quadruplex fit, perpendamus, mirum in modum distendunt. Palpebrae vel musculi oculorum in carcinomate ampliato hujus organi; anteriores partes cervicis in bronchocele; pectorales sub finem aneurismatis arcus aortae; abdominales in feminis uterum gerentibus, in ascite, et adhuc magis quia distentio fit subito in meteorismo; superficiales dorsi, steatomate subjacente, se distentionis capaces esse, oculis patent.

Contractilitas, vis est structurae musculorum quàm extensibilitas sua non minus manifesta.

His organis, causis quae extentionem induxerant cessantibus, proclivitas perpetua ad se contrahendum inest. Haec facultas nec nervis nec irritabilitate pendet. Legibus vitae fabricae partes infixis tribuenda est; quamvis huic fortasse non ex toto paret. Phaenomena virium adversantium vel antagonismi texturae musculorum proprii, ad eam referenda sunt.

Omne punctum mobile machinae animalis inter duas vires sibi invicem obstantes situm est, et oppositio haecce motui prorsus necessaria est. Artus, nisi prius extentus fuerit, flecti nequit, et sic invicem; et extremitates ejus duae limites sunt, inter quos motus fit. Inter has quoque, punctum fixum est, antagonismi sive quietis; nam istas vires, extensibilitatem fabricae nempe, et contractilitatem, natura ita contemperavit, ut omnes artus in aliquo statu mediocri quiescant, ut in dormientibus animalibus manifestum est, cum nullam vim nervosam accipiunt. Quando hunc relinquunt, alii extenduntur, alii contra-

huntur, et haec distentio et contractio, aequilibrio perfecto existente, sibi mutuo semper resistunt : Hinc in vi reciproca quae inter musculos intercedit, hi vicissim agunt et cedunt. Effectus, igitur, singulae contractionis musculi non solum punctum insertionis suae, sed quoque musculum ei contrarium afficit, et haec antagonismum vel tale aequilibrium inter vires contrarios constituit, ut alius, sine alio extento, non potest se contrahere. Hoc ordine turbato, mala de quibus disserturus sum, praecipue oriuntur ; et, ut rationem medendi propositam melius explicem, quae propria huic contractilitati texturae muscularis sunt, ab irritabilitate caute dignoscenda nonnihil statuere aggredior. Hoc discrimen summus vir Haller, satis clare demonstravit, et nuperius proditum et comprobatum fuit scriptis Bechât.

Musculi sibi invicem obstant irritabilitate, stimulo esse cerebri et nervorum admoto, pariter ac vi contractilitatis, quae texturae suae in-

est. Sed, quia contractiones vi nervorum, quam alio modo inductae, magis sunt insignes, defectus potentiarum resistentium in paralysi evidentior fit, cum musculi totius integri a voluntate in motum cientur. Contractilitas fabricae in paralysi affecta esse, videtur, sed nunquam prorsus aboletur, si fidem periculo sequenti a Bichat facto adhibeamus, quod ex ejus opere de Anatomia Generali cito: " Il paroit, que dans " beaucoup de paralysies la Contractilité de " Tissu est une peu alterée du coté affecté, mais " jamais elle n'est totalement detruite, de ma- " niere à ce que dans l'amputation d'un membre " paralysé, il n'y ait point de retraction muscu- " laire. J'ai fait cette experience sur un chien. " Les nerfs ayant été coupés dix jours aupara- " vant, et le membre ayant resté immobile de- " puis cette epoque, la section des muscles pro- " duisit un ecartement manifeste entre leurs " bords, et meme en coupant ensuite compara- " tivement le membre resta sain : je ne trouvais " aucune difference." *

* Vide Bichat, vol. III.

Musculis aliquandiu distentis, contractilitas, causa distentionis sublata, redit ; operatio paracentesis, et reditus uteri post partum ad molem ejus pristinam, ut musculi abdominis hac proprietate perfungantur, sinunt : sed bene notandum est, ut ad nostram rem specialiter pertinens, quod si extensio diuturna fuerit, fabricae muscularis debilior evadit, et contractilitas multum imminuitur, et hoc, quod ad vires irritabilitatis pertinet, quoque verum est ; accidit post artum in situ eodem diu servatum, accessionibus repetitis podagrae vel rheumatismi vexatum, et post paralysis mitiores ictus, aeque ac post laesiones musculis illatas, vi subita inflammationem excitante, et multum quietis et otii postulantes, ut vulnera inducta armis ignivomis et similia. Inflammatio membranae synovialis eundem inducit effectum ; hic quoque obtinet post quasdam febres, quae genus musculosum maxime afficere videntur, equilibrium virium antagonistarum fere aboletur, et frustra animi voluntas imperium exercere conatur, nec antagonismum

restituere valet, flexores adversarios superant et artuum motus per vitam abnormes et invalidos reddunt. Exemplum hujus egregium prae oculis habeo, quo vitium nimis vetustum quin multum sperare licet a ratione medendi, quae in eam recentiore, levamen vel sanationem efficeret.

Affectus hujusmodi pro sequelis morbi regionibus calidis proprii, qui nomen Gallicum *Coup de Soleil* universe adeptus est, capite incaute subjecto radiis Solis inducti, subinde accedunt. In hoc morbo, cerebro stimulato et oppresso, irritabilitas multum imminuitur, vel stimulus quem hoc organum praebet, adeo turbatur, ut munere excitandi actiones idoneas in musculis vitae animalis impar sit. Nihilominus ut exemplum valde insigne me certiorem fecit, methodus quam statuere proponimus, felicem eventum protulit. Primus conatus ad vim restituendam, inducendo justum aequilibrium Extensibilitatis et Contractilitatis fabricae organorum motui inservientium, efficitur; dum hae vitientur quanquam irritabilitas stimulum idone-

um nervis accipiat, sed motus voluntate orituri parum valebit perficere. Revera voluntatis desiderium ad artum movendum, quam necessariae sunt hae fabricae musculorum proprietates ad justam actionem clare demonstrat; sine antagonismo motus aut nullus aut abnormis. Si extensores contractilitate sibi naturali, flexores in statum medium reducere nequeunt, nihil extensionis fit; artus flexus perstat, et voluntas nil nisi motus debiles aut iniquos ciere potest.

In Musculis sibi adversariis sine medio osseo, ut in ore, intercedente satis contractilitatis texturae post impetum levem, paralysis saepe restat, ut aequilibrium cum illis sani lateris servant, nec virium defectus, nisi cum aeger loqui conatur, apparet, tunc voluntas musculos sanos ad actionem ciet, quibus alii non probe obstant, et os ad latus sanum trahitur; nunc, rebus sic existentibus, si contractilitas fabricae in latere correpto augetur, maxime pro remedio erit.

DE MODO QUO VITIA CONTRACTILITATE ET EXTENSIBILITATE MUSCULORUM MOTUS IMPEDIANT.

Haec praemissa ad usum reducere nunc moliamur, exemplum praefando in quo Contractilitate vel Extensibilitate musculorum imminutis, hi munera sua persolvere nequeunt. Cùm ex quacunque causa, artus immobilis servatur, musculos mutationem subire, eos actioni sanae impares reddentem, observatur; et si causae otium postulantes, perstant, motus magis magisque difficilis, donec non amplius exerceri potest, redditur; et idem fit, si membrum situm eundem servat, quamvis causae sublatae fuerint. Ad haec plenius illustrandum, casum minime fictum proferamus. Homo optima sanitate gaudens, in uno majorum artuum laesus est, et inflammatio semper difficilis sanatu, peritissimo etiam viro curante subsequitur; quies rigida et

perpetua cum remediis solitis praecipitur; inflammatio perstat, cum dolore motu minimo multum aucto, qui aegrum praescripta chirurgi observare facile inducit. Actio vasorum partis aucta manet, et aeger, lecto suo affixus, levaminis desiderio artum leniter flexum tenebit; hoc aliquandiu perstat, inflammatio minuitur, sed molestia et rigiditas partis manent; nunc licet illi surgere et ope scipionis ambulare; ut vix aut ne vix corporis pondus membro admoveatur quoque jubetur; praeceptum, cui, ob sensus ejus molestos, lubenter paret. Tempus progreditur, et omni metu inflammationis summoto, exit foras, et quantum virium est artui ut eum sustineat, rigescit et motu dolet; situm semiflexum tenet, digiti pedis tantum humo nituntur, vix est ei ulla vis membrum extendendi, circuitus sanguinis languescit, altero gracilior est, (hoc exerceri aliquid post convalescere incipit existimato,) multa debilitate urgetur, exercitationes solitas perficere nec valet, metus latens morbum denuo inferendi latus affectum quam

minime exercere suadet, cum scipione igitur claudicat digitis humo nitentibus, aut equo vel curru vehitur. Mensibus paucis elapsis, genu minus minusve motu valens invenit; sensu torporis et frigoris afficitur; et tandem quasi anchylosi correptum rigescit. Hora infausta, pero, aut aliquid hujusmodi, consilio medici vel amicorum suppeditatur, et aegro moerenti per vitam claudicandi metum incuteret. Exempla plurima ex structura prava naturali, etiamsi sine vitio organico, ut ossium laesorum, vel ex podagra, rheumatismo, torpore unius generis musculorum, affectibus paralysis levibus orientia, memoriae prodita sunt: sed casus supra dictus, consilio nostro sufficit. Progrediamur inquirere unde haec ex magna parte oriuntur, et quam rationem medendi res supra memoratae suggererent.

In aprico est, duabus viribus sibi invicem oppositis, major minorem superabit; et si illa major vis situ potiori, quia extremitas longiore vecti gaudet, hoc adhuc manifestius est. Hoc principio, contractilitas texturae flexorum il-

lam extensorum superare debet, et membrum semiflexum servare, ut musculis viribus solius fabricae relictis, velut inter somnum latissime patet. Fibrae vi quoque se accommodandi gradu diverso contractilitatis vel extensibilitatis, in quo siti sint pollent, si causae quae distentionem praeter naturam inducunt, perstant, haec adeo fixa fit ut voluntas vel vis nervorum conditionem sanam restituere nequit. Fibrae unius generis breviores, illae adversariorum longiores evadunt, vel desuetudine moles magnopere minuitur. Si artus motui inserviunt, membranae synovialis vis secernendi fere perit; ligamenta tensa et rigida facta sunt, quae post inflammationem praecipuè observantur. Sanguis minore quantitate ad membrum defertur; calor in eo minus gignitur; et sensus torporis vim nervosam vitiatam esse denotat. Flexores perpetuo contrahuntur, et extensoribus reciproca est extensio: illorum contractilitas morbida augetur; horum minuitur, contrarietas recta lege aberrat; quamobrem motus plus minusve abolescit, quip-

pe ad hunc rite instituendum, contractilitatis et extensibilitatis duorum ordinum musculorum ratione idonea opus est ; et, ni existat, nil motus existere potest, et remedia supervacua fuerint.

DE RATIONE MEDENDI.

Opusculum, longe ultra limites ei impositos, facile esset producere, auctores citando per quorum opera loca passim invenienda sunt, quibus exercitatio tam generalis tam specialis, utpote maxime utilis, in multis morbis summis laudibus effertur. In scriptis sectae, quae pathologiam humoralem vindicavit, multa ea perhibentur, et ab illis ad suas theorias uno tempore per totam medicinae rempublicam fidem obtinentes, distorquebatur. Sed nemo mihi notus est, qui de exercitatione locali, ut illis membro captis remedium porrigente ex professo disseruit, nec eam principiis sanae physiologiae stabilire conatus est.

In exemplis prolatis, membrum ad statum suum naturalem restituere, vires solitae impares repertae sunt; ad artem confugiendum est, et ut semper debet, actiones et processus naturae imitari conatur. Alius musculus, contractilitate fabricae ejus propria, alii obstare inservit; sed si ad hoc efficiendum sit impar et perpetuo extenditur, ratione mechanica ad adversarium ex statu ejus contracto reducendum, ac fibras ejus extendendas, et ad stimulum dotes organicas partis restituendi vi praeditum opus erit. Contractilitate texturae unius ordinis musculorum superata, illa adversariorum augetur; quum munera texturae naturalia redduntur, et partes motus capaces fiunt, sensibilitas et irritabilitas cientur, donec membri motus, antea imperfecti, abnormes, difficiles, aut impediti, nunc faciles, certi, validi et perfecti evadunt. Hae mutationes, methodo simplicissima, frictione, nempe, et exercitatione obtinentur.

Frictione opus est, quum morbus tamdiu perstitit, et contractio adeo insignis est, ut ri-

giditas partium extensionem per modos solitos subito inductam, periculosam redderit. Illa sensibilitatem organicam excitat, majorem fluxum sanguinis ad partes inducit, hasque ad tractationem secuturam aptas reddit; manu nuda vel laneo vel oleo purissimo obducta, et per horas aliquot in dies perfici debet, strigiles, vel embrocationes stimulantes evitandae sunt, quippe cutem vel cuticulam abradere, ut frictionem non amplius sustinere possit, proclives sunt.

Exercitatio ope machinarum quae partibus affectis accommodantur musculos contractos extendit; quum, ut frequentissime accidit, genu morbo implicitum est, haec quae nunc describitur consilio optime respondere reperitur; constat ex duabus tabulis, alia ad aliam inclinata, et cardinibus cochleisque conjunctis, adeo ut cum humo quo nituntur pro basi, figuram triangularem constituunt, cujus anguli plus minusve acuti pro re nata redduntur. Ad imam partem fulcrum est quo calx insistere debet, pede in tabulam nitenti, digitis pedis ad apicem versis, et aeger,

membro sic posito, in sedili manibus inclinans, antrorsum flectus, adstantibus primo adjutus, quamdiu vires tolerare possunt, se continere debet; brevi intervallo, iterum conatus fiat, donec facultas eo aliquandiu instandi acquisita fuit; si aeger membro capto, corporis pondus insistere valet, morem flectendi et extendendi artum, quantum penes eum sit, gerere oportet; et, sic gradatim vires et motus acquiret, nihilominus non praecepti oblitus, "exercitationis tamen "finis debet esse sudor vel certe lassitudo, quae "citra fatigationem sit."

Nunc in exemplo contractionis genu, ut vulgo vocatur, quid efficit haec methodus? Extensio mechanica bicipitis semimembranosi, revera omnium musculorum qui crus vel pedem flectendo movent, qua occasio adversariis redeundi ex statu extento invito praebitur. Haec actio prima, et ut primaria, est prorsus necessaria illi secuturae: irritabilitas, sensibilitas, et contractilitas organica augeri possint. Sed, nisi vires, quae extensibilitas et contractilitas appel-

lamus, naturales existunt, motus partis nunquam non, nisi abnormes et imperfecti, fuerint. Ad probandum effectus faustos talis methodi, memorare casum Viri et Amici spectatissimi pergam. Dum valetudine secunda et aetate florente gaudebat, laesionem genu ob nisum immodicum inter saliendum accepit, quod aliquandiu dolore affectum fuit; sed haec non obstitit quo minus Londinum circiter tria millia passuum causa negotii ejus soliti quotidiani equo veheretur. Genu nonnullis hebdomadis elapsis non omnino debilitate et dolore liberum fuit. Re sic existente, equus inter celeriter equitandum sub eo concedit, et ipse sensus expers in humum decidit. Genu male convalescens contusum fuit et magnopere doluit: inflammatio gravis accessit, et eum domi aliquo tempore continebat. Quum exire potuit foras, ne artum nimis exerceret admonitus fuit. Membrum dolore, frigore, et torpore laborans brevius altero evasit. Hoc manente plures chirurgos accersivit, qui linimenta stimulantia, emplastra roborantia,

scintillam electricam, fricationem cum manu, aquae frigidae rivulos omni mane ex altitudine quorundam pedum defusos* praeceperunt. Omnia nihil aut vix nihil profuerunt; membrum subinde doluit, et illud in situ recumbente servare et quam minime exerceri solebat. Inter haec septem anni elapsi sunt; artus motu fere privatus fuit, flexores rigidi, moles multum imminuta est, et sensus torporis semper adfuit. Amicis et familiaribus de curatione fere desperandum fuit; sed animus ejus hilaris et fides in viribus constitutionis, ut dicitur, variis praeceptis quae fors seu ratio objecerat auscultare induxerunt, et multa anilia ab ventriculis ovium recenter caesarum usque ad vim magneticam animalem, istum medicastrorum fumum, adhibita fuerunt. Hac saltem huic beneficio fuit delectationem, quam tempus non delevit, jactationes et ludos mimi, et balatrones ad amicos suos describendi ipsi praebuit. Quum parum adfuit

* Huic nomen lingua Anglicana adhuc desideratur. Gallia Douche appellatur, quod fortasse apud nostratos in usum veniat.

quin de se ipso desperavit, de quodam, cui nomen erat Pugh, illi nunciatum fuit; hic, unus de grege abnormium, sed actioni et viribus musculorum, et methodis vitia eorum corrigendi, multam operam dederat, et magis anatomicus mechanicus quam jactator inscius ratus fuit. Pugh casum ejus suam ministrationem postulantis perscrutavit, et instrumentum huic simile de quo supra dixi statim exhibuit, modum quo admoveri debet edocuit, et primo periculo adfuit, experimentum fortasse satis temerarium in affectu per septem annos manente. Multo fuit dolore ut par sit suspicari, aegerque cui plene persuasum fuit, temeritatem tractationis inflammationem allaturam esse abiit. Mirum illi fuit, die sequente, quod artus calidior nec magis dolebat, et bene dormiverat. Haec laevatio inopinata illum perseverare induxit. Membrum paulatim longius fiebat; vigor ei accedebat; et sensus torporis imminuebatur. Consuetudine vim, flexoribus bene extentis in apparatu per quadrantem horae instandi adeptus

est, et sex mensibus vix elapsis, artus rite et perfecti suis muneribus perfungi valuit. Viginti vel potius triginta anni nunc praeteriti sunt, et Vir, annum climactericum superans, vigore et alacritate eorum, qui ex ephebis vix excesserunt, adhuc gaudet; exercitatione summa utitur; et membrum semel affectum validius altero existimat.

Pugh anno 1794 opus de modo ejus operandi edidit, farraginem citationum, quasdam tabulas eximias et literas ex multis haud mediocribus commoda ejus tractationis agnoscentibus complectitur; hae in claudicatione et contractione ex podagra, rheumatismo, fabrica prava naturali laesione artuum et paralysi oriente accepta fuerunt. Sed fortasse pars operis maxime aestimanda, sunt literae ei praefixae methodum ejus tractandi comprobantes ex Georgio Baker, Baronetto, cl. Johanne Hunter et aliis qui, ut fertur, inire consilio cum illo non indig-

num ipsis putabant, has quia opus diu cessavit imprimi infra subjeci. *

Haud multo post Dom. Grosvenor, chirurgus Oxoniae, ratione simili ad eosdem affectus sanandos utebatur; ac, ut intelligo, quia opiniones prelo non vulgavit, fricationes multum effert, et plurimos ad aegros ejus fricandos mercede conducit. Cl. Astley Cooper in praelectionibus tractationem laudabat, et discipulis nuntiabat Dom. Grosvenor filium eximii Hey, contractione malleoli laborantem sanasse, quam patris ejus solertia tollere nequibat.

---

* Sic sententiam enuntiat cl. Hunter: " I have a good opinion of exercise, as, in many cases, it may be said to finish, when the healing art has done its utmost. I regret much your art is not more generally known and practised. To restore action lost by disease, when the disease has been removed, is the ultimate of our desires; or to produce relaxation in *involuntarily contracting muscles*, is much to be wished for, which your mode certainly tends very much to effect. So far as I have seen, or as far as my judgment goes, I think your apparatus is well calculated for the above mentioned purposes;" et etiam Vir summus Georgius Baker, " I am of opinion, that the apparatus which I have inspected is highly beneficial in cases of contracted muscles."

Mihi quoque placet in memoriam revocare, quod talis fuisset tractandi ratio a praeceptore meo, semper colendo, Tilleardo Ward, viro tam in re medica quam in chirurgia admodum sagaci, feliciter exercita, ut inter horas utiles Tyrocinii facultas fuit mihi observandi. Ille postremo in villa amoenissima apud Binfield in comitatu Berks, aegros hujusmodi morbis laborantes recipit, iisque tum assidue cum feliciter ministrat.

DE CRUSTA IN ARTICULIS DEPOSITA MOTUI FAVENTE.

Sed objectum fuit, quod in multis exemplis inflammationis artuum, membrana synovialis et cartilagines vitiantur aut absorbentur, nexu inter duo ossa facto, et anchylosi optanda cruciatibus aegri finem imponente. In exemplis hujusmodi non multum expectandum esse concedo; sed his etiam commodum ab exercitatione partium inter justos fines, derivandum esse credo;

conspectum pathologicum hic memorabo qui probare inservit :

1*mo*, Ossa artus aliquid motus post cartilagines absorptas subire posse.

2*do*, Naturam in quibusdam exemplis huic consilio specialiter providere.

3*tio*, Verisimile esse hic conatus naturae liberior fore, partem leviter exercendo.

Hanc rem pathologicam a cl. viro Dom. Brookes, de Anatomia Londini praelegente accepi. Hic anatomicus praeclarus et praeceptor, ac urbanitate erga alumnos ac cognitione in res pathologicas scalpello detectas, insignis inter perscrutandos artus hominum, quibus aliquid motus post morbos genu relictum fuit, condylos femoris, quod ad structuram osseam, multum fuisse mutatos observavit, tunica externa, laminam duram, compactam, et vitream exhibuit, cortici dentis simillimam. Ob quam causam nomen *enamel* ei imposuit. Aliquid simile in capite

tibiae detectum fuit, et procul dubio hoc motum inter certos limites permisit; quamvis cartilagines ex parte deletae fuerunt, et hoc modo natura illis submotis providit. Dom. Brookes protulit, quod si tempus accurate quo haec crusta projecta fuerit cognosceretur, motus artus lenis vim haberet vasa eam deponentia stimulandi, eandemque latius diffusam in superficies articulantes redderet. Opinio mihi bene arridet, quamvis temporis punctum quo motus fieri oportet, inflammatione activa cessante, et dolore conquiescente statuere vellem. Si absorptio cartilaginum fit, corticem vel enamel copiosius deponi, legibus stimuli solitis, efficeret, et eo latior esset motus quem musculi membro impertirent.

Dum Academiam Parisiis annis 1816–17 frequentabam, sectioni genu scalpellum admoveri videbam, in quo haec crusta partem praecipuam utriusque condyli femoris, et foveam illis convenientem capitis tibiae occupavit, cartilaginibus multum deletis. Quod nihil de historia aegri cognovi, et ut non praeparationem habeo mihi dolori est, ut

servarem, Dom. Tessier tunc temporis facultatis medicae praesectore petente ut ei traderetur, vetavit consuetudo honesta; huic et in aliis exemplis hic conatus naturae perspectus fuerat, et Ivoire eburnum nuncupaverat, in opinionem meam artum ope hujus crustae laevis, motus inter certos limites perficere posse, plene inivit.

Mihi igitur licere existimo affirmanti, inflammatione non urgente nec textura ossium cancellata correpta, exercitationem, caute admotam, aequilibrium virium musculorum reddere, pariter ac artum ipsum ad motum excitare valere.

Longum fuerit subjicere machinas adjuvantes musculorum extensioni variis contractionibus, quibus proclives sint. Illa, de qua dixi, affectibus, genu vel malleoli, tantum convenit; sed scientia cursus et actionis musculorum efficiat, ut chirurgus idoneam casibus sibi occurrentibus facile inveniret, hoc in memoria tenente, consilium esse per extensionem tardam et gradatim auctam musculos contractos ad statum

suum medium restituere, et adversarios contractilitatem texturae exercere, sinere.

Ad finem hujus, quasi adumbrationis tentaminis, nunc perventum est ; et quis candidatus non speravit " penes eum fore utilitatem tractationis jam descriptae fusius posthac illustrare ;" nec nobis fateor animus est à tali jactatione discedere, si hoc eveniat, in mentem sententiam cl. Oratoris alte reposituram fore, ex votis est, nec Medici, nec Imperatores, nec Oratores quamvis artis praecepta perceperint quidquam magna laude dignum, sine usu et exercitatione consequi possunt. Conspectus theoretici, aliquem in Medicinam nonnisi lucernae odore incumbentem delectent et alliciant, sed adsidenti lecto aegri ni aliquo fundamento conjectura certiore nitantur, minime proderint.

In re medica pariter ac in ethica,

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Qui periculis temerariis aerumnas adversae

valetudinis augeat, vel qui methodum medendi rationi convenientem, quia per secula non consecrata fuit, rejiciat, arti salutiferae quae exercet, sit dedecori.

FINIS.

Edinburgi: Excudebat C. Stewart.